

conferens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed jam capillis lacrymas tergebatur. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot in se invenit holocausta. » Hæc Gregorius.

Secundo, videmus eandem a culpis absolutam et Christo reconciliatam, indeque discimus nemini de venia desperandum quantumcumque peccator sit. Perierat jam quasi Magdalena, et velut ovicula a leone, dæmone comprehensa abripiebatur et laniabatur, verum David noster Christus eam iterum eruit. Torris erat Magdalena, jam in igne ardens et ambustus; verum a Christo iterum ereptus et a nigrore peccatis purgatus, juxta id Zachar. III. *Numquid non iste torris est erutus de igne?* De igne inquam non luxuriæ tantum, in quo jacebat; sed etiam gehennæ, ad quem sensim decidebat. Hujus ergo pœnitentis exemplum jure merito erexit alteram quamdam meretricem, itidem Mariam nomine, apud Eviratum, in prato spirit. cap. XXXI. quæ tres comitata adolescentes, cum aliquando in hospicio offendisset duos anachoretas, qui in itinere ibidem, diverterant, seorsum in angulis evangelium legentes, uni mox assedit lectionem auditora. Verum ab illo repulsa dixit: « Ne quæso, pater, abomineris me; et si enim peccatrix sum, non repulit tamen a se peccatricem Dominus et Salvator omnium Christus. » Cui ille: « Verum quidem, hoc, sed peccatrix illa respuit et meretrix esse desiit. » Tum illa: « Spero in Dei Filium ac propono firmiter me quoque turpi quæstui deinceps renuntiaturam. » Dictum, factum; relictis enim adolescentibus, adhæsit senibus, a quibus monasterio prope Ægas civitatem inclusa est; quam etiam scribit auctor se vidisse anum, et hæc ab illa accepisse.

Tertio, videmus eam a Christo insuper laudatam et prælatam Pharisæo. Nec mirum; nam post tam insignem pœnitentiam facta est illustrior, quam si conservasset suam primam innocentiam: quod vel inde colligi potest, quod sorori Marthæ, quæ in sancto virginitatis proposito perstitit, præferatur ab Ecclesia quæ festum Magdalene celebrius instituit quam Marthæ. Hoc ipsum in multis aliis cernere est, qui post lapsum fortiores surrexerunt per pœnitentiam, quam si nunquam cecidissent. Quando enim Fabiola matrona nobilis Romana, eo sanctitatis pervenisset, ut fieret: *Laus Christianorum, miraculum gentilium, luctus pauperum, solatium monachorum;* quibus titulis prædicatur a Sancto Hieronymo, in ejus epitaphio, nisi pœnitentiam egisset? Illa enim quod marito adultero repudiato, alteri nupsisset, putans id sibi licere, eo mortuo culpam

agnovit, et cilicio induta, sparsis crinibus ad basilicam Lateranensem publicam egit pœnitentiam, deinde omnibus suis in pauperes erogatis nosocomium instituit, in quo agrorum servitili se mancipavit, sordes tersit, saniem abstersit, sorbitiunculas præbuit, etc. ut idem scribit S. Hieronymus.

III. Videmus Pharisæorum in tribus delinquentem. Primo enim, attendit tantum ad præterita Magdalene peccata, non ad præsentem ejus pœnitentiam: quod minus est, videt, quod cominus, non videt: quod auribus tantum ex vulgi fama percepit, considerat: quod oculis suis cernit, non considerat; tametsi visus auditu multo certior est, imitantur hunc, qui quem semel in aliquo crimine deprehenderunt, semper de eo suspectum habent; quasi non essent duodecim horæ diei in quarum singulis peccator se a malo avertere et convertere ad bonum posset. Non ita nobiscum agit Deus, qui non tam perfecta nostra intuetur scelera, quam instantem pœnitentiam. Quam graviter in eum deliquit olim Achab spoliando vinea et vita innocentem Naboth? Unde ei dictum per Eliam est: *In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Et tamen cum ad hanc comminationem, pœnitentis habitum induisset Achab, ait Dominus ad Eliam: *Nonne vidisti humilitatem Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.* III. Reg. XXI. Ecce pœnitentem et humiliatum Achab, qualis tunc erat videt Deus, non videt raptorem et homicidam qualis ante fuit.

Secundo, male infert Christum non esse prophetam, quod non nosset peccatricem. Neque enim prophetarum est omnia prorsus, etiam occulta scire. Scimus Samuelem nescivisse, quis e filiis Isai eligendum esset in regem, I. Reg. XVII. scimus Elisæum ignorasse quid contigerit Sunitidi ad se accedenti, IV. Reg. IV. Poterat ergo Christus esse propheta, etiamsi vitam peccatricis perspectam non haberet. Similes Pharisæo sunt, qui ex uno vel altero defectu proximos condemnant, quasi in omnibus reprobi essent et omnino nihil valerent; quod imprimis patres ac matres familias communiter servis et ancillis suis faciunt. Verum si hæc argumentatio valeret, pauci invenirentur boni; quis enim sive nævo est?

Tertio, temere judicat Christum non novisse illam mulierem; forsitan ex eo quod se ab illa tangi permetteret. At hoc nequaquam sufficiens argumentum erat; neque enim sanctus Dominus contaminari poterat tactu rei immundæ; neque interdictum tangendi immundos, extendebat se ad sordes animi. Facile igitur errant, qui privato

sensu proximum dijudicant, ut qui varios modos habeat sese defendendi vel excusandi. Convinctus erroris est a Domino Pharisæus, et in ejus sententiam concedere coactus: ita fit communiter, ut si proximum quem sinistre judicavimus, au-

diamus aliter sentire et ipsi consentire incipiamus. Superest nunc, ut Pharisæum delinquentem vitemus, et si Christum innocentem assequi non possumus, pœnitentem saltem Magdalenam imitari non dubitemus.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

MAGDALENA SIMILIS VITI.

I. Quia foris apparuit vilis, intus erat nobilis. — II. Quia pergratum virtutum odorem dedit. — III. Quia celerrime profecit. — IV. Quia voluptatum instrumenta vertit in virtutum organa. — V. Quia Christo fortiter adhæsit. — VI. Quia per contemplationem in cœlum conscendit.

THEMA.

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.

Eccli. XIV.

Rem missam recenset doctor celebris, Silvester Prieras ordinis S. Dominici de S. Maria Magdalena, in aurea rosa, apud Sur. 22. julii. Carolus rex Siciliae secundus et comes provincie circa annum Domini septemcentum sexdecim navali prælio cum Aragonum rege congressurus, victus et Barcinone in carceri mancipatus fuit. Ibi a M. Guilhelmo de Tohnanis ord. Prædic. confessario suo monitus est, ut quia humana præsidia nulla expectaret, commendaret se B. Mariæ Magdalene, ut quæ in terris sibi subjectis vixerit et obierit. Placuit regi consilium, et executus est. Ecce igitur in vigilia festivitatis Magdalene, apparuit ei matrona insignis, quæ regem compellans, sequi se jubet, eductumque e custodia cum familia sua, statuit prope Narbonam Gallie, distantem Barcinone leucis fere triginta, adeoque intra terminos principatus ejus, asserens se quam invocarat, Magdalenam esse. Ille gaudio plenus et perfusus lacrymis, quid ei gratiarum rependere possit, interrogat. Cui Magdalena, corpus suum ob instans bellum, alio translatum jam ignorari: eat igitur et requirat reliquias suas, inventurum vitem, quæ ex ore capitis ejus exerevit, additis aliis indicis, e quibus rex rem, ut erat, deprehendit et jussa omnia peregit. Quid putamus, auditores? Num absque Dei consilio e capite Magdalene vitem prodixisset? Ego sane nequiquam, sed voluisse eum nobis ostendere fuisse Magdalenam quamdam vitem, qualem describit Ecclesiasticus, c. XXIV. *Ego*

quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Ea vere an conveniat Magdalene, nunc videamus.

I. Lignum vitis, si quod ullum, admodum vile et deforme est aspectu, curvum, nodosum, lacera cortice opertum, ut plane sit contemptui; intus tamen pretiosum humorem habet, qui se suo tempore prodit. Ecce tibi Magdalenam, viti in hoc simillimam. Secundum aspectum enim tam vilis et abjecta erat, ut Pharisæus eam non nisi *peccatricem* appellet, et miretur quod eam Christus ad se venire permittat. Ad hæc, habitus ejus erat squalidus, sparsi capilli, oculi lacrymantem et dejecti, ipsa retro se abscondens. Verum jam tunc Christus in ejus animo pretiosum pœnitentiae et amoris divini humorem vidit, quem alii non viderunt. Hoc ipso igitur suo squalore Christi gratiam invenit, ejusque oculis placuit. Scimus Deum Exodi XXXIII. per Hebræorum idololatriam irritatum, tandem eorum lacrymis rursus placari ceptum, imperasse eis ut pretiosum vestitum exuerent: *Ut sciam, quid faciam tibi*, inquit, quasi per hoc exploraturus, an componere se ad pœnitentiam vellent. Fecerunt illi ut imperatum, et Deum sibi placarunt. Egregie in eum locum scribit Oleaster: « Non libenter videt Dominus peccatorem festivis vestimentis indutum; sed quem admodum dedecent justum vestimenta lugubria, ita peccatorem indumenta jucunditatis. Considerate quæso peccatricem illam, cum sacra meminit historia, qualiter ad Salvatorem non ornata, sed solutis crinibus venerit verecunda, ut non ausa fuerit faciem Christo ostendere, sed eam capillis suis operuerit, ut retro steterit. Tu ergo, qui a Domino Deo tuo veniam requiris, ornamenta depone. » Sic ille. Quinetiam seipsam derisui exposuit Magdalena, dum in consessu viro-rum ingressa, se in terram abjecit et lacrymarum cepit, volens hac sua confusione peccata sua punire, ut gratiam inveniret. Omnis ergo ejus gloria fuit ab intus, quo magis squalor foris.

II. Vitis dum floret, pergratum fundit odorem. Sed quis odor in Magdalena, dices, quæ audit et scitur peccatrix? Imo vero dum sub convivio habitu pœnitentis tam luculento ingreditur, hoc

ipso dat odorem variarum virtutum gratissimum. En tibi odorem humilitatis, qua ad pedes Domini, catelli instar, se collocat: odorem verecundiæ, qua retro ipsum se abscondit, quasi indigna ejus aspectu: odorem devotionis, qua pretiosum unguentum in ejus pedes fundit: odorem taciturnitatis, qua linguam adeo pressit, ac si muta foret, nec digna quemquam alloqui: odorem pœnitentiæ, qua peccata sua jam actu ipso confiteri et expiare lacrymis cœpit. Quod si compta et phalerata venisset, si mensæ assedisset, si oculos circumtulisset, si loquaculam se præbuisset, si ridentem ac lascivientem; tetrum utique odorem sparsisset et ejici meruisset. Verum dum contrario incedit modo, Christum suo odore suavitatis et recreavit et occupavit. Unde bene ipsi convenit, quod in prædicto loco Sapiens dixit: *Ego quasi vitis fructificavi suavitate odoris*. Vitis, dum floret, odorem dat, nondum fructificat: at Magdalena, dum primos pœnitentiæ flores ostendit, odorem suum spargit, adeoque jam fructificat. Qui sane odor in cœlum usque ascendit, quia et angelos recreavit, qui super uno peccatore gaudent pœnitentiam agente. Unde S. Bernardus, in eum locum: Et domus repleta est ex odore unguenti: « Hos ergo pedes, ait, primo ungit anima peccatrix illo primo unguento, quod dicitur compunctionis: denique, Maria quæ peccatrix erat, unxit pedes Jesu, nec mediocre sane hoc unguentum videbatur, de quo scriptum est: *Et domus repleta ex odore unguenti*. Nec mirum, cum etiam in cœlestibus sentiatur hujusmodi unguenti fragrantia, veritate attestante, quæ ait: *Gaudium erit angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*. » Non igitur fœtent coram et angelis gravium peccatorum confessiones, si contritionem comitem habeant, sed suavissime potius olent; et odore ipsum cœlum replent. Sic caput Holophernis, quod Hebræis prius terrori atque horrori erat, præcisum, postea voluptati fuit.

III. Vitis avidissima est ad crescendum et fructificandum, ita ut malit parere, quam vivere; unde quod a ramis superfluis demitur fructui accedit, teste Bercorio, in reduct. l. XII. c. CLXXV. Ad hæc, etsi tardius floret quam arbores aliæ, solstitio nimirum, post flores tamen fructum accelerat, et multas sæpe arbores, quæ dudum flourerunt, celeritate præcurrit. Idem in Magdalena cernere est. Tardius quidem illa pœnitentiæ flores edidit, postea tamen magnis passibus ad virtutum culmen perrexit et celerrime pervenit. Quantum nos laboramus, donec unum vitium exuamus, et contrariæ virtuti assuescamus! Magdalena simul et semel omnia deposuit, et sanato morbo suo, perfectam repente sanitatem conse-

cuta est; quod indicavit Dominus, cum ei dixit: *Fides tua te salvam* (non sane in corpore, quia ægra non fuit, sed in anima) *fecit, vade in pace*. Quemadmodum enim eos, quos corpore sanavit, perfecte sanavit, sic et quas animo: *Dei enim perfecta sunt opera*, Deut. XXXII. Ergo Magdalena post pœnitentiæ flores, quos sub hoc convivio edidit, mox fructus virtutum maturare cœpit, abolitis vitiorum habitibus, et concepit rerum mundanarum contemptum, virtutem amorem, desiderium rerum cœlestium perfectam castitatem, ardentem Christi dilectionem, et constantem sequelam ad omnes ejus peregrinationes et labores, quasi facta discipula et apostola ejus. Unde bene Ecclesiasticus flores ejus appellat *fructus: Flores mei fructus honoris et honestatis*, quasi simul cum floribus, aut immediate post, edidisset fructus. Thebani, cum primum Lacedæmonios, qui antea existimabantur invincibiles, vicerunt, ab iis postea nunquam victi sunt, teste Plut. lib. de coh. ira. Qui inde colligit vitia sic posse superari, ut nunquam ab illis postea superemur. Confirmat id opinio Sancti Thomæ Aquin. qui ait, unico actu posse acquiri habitum. Id quod sane ipsi contigit, quando, pulsa impudica muliere apprehensa titione, deinceps nullum amplius turpis concupiscentiæ motum seu igniculum sensit. Tanta est vis gratiæ divini!

IV. Vitis aquas pluviarum turbidas et lutasas hauriendo, solis accedente beneficio, mutat in præstans vinum, quod fundit ex uvis. Quid Magdalena? Nihilo minus fecit; voluptatum enim carnalium illecebras et mundi vanitates convertit in Dei obsequia et animæ ornamenta: instrumenta lasciviæ, nempe oculos, capillos, odores, in instrumenta pœnitentiæ. Corporis ornatus et deliciæ vanique amoris illecebræ, quid nisi aqua insipida et turbida sant, luto peccati et turpitudinis aspersa? De qua Jeremias, capite II. *Quia tibi vis in via Egypti, ut bibas aquam turbidam?* Has vanitates et sordidas voluptates bibunt mundani, quasi aquas, attestante Eliphaz, Job XV. *Abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem*; tum quia nihil inde satietatis, nihil virium, nihil solidæ consolationis accipiunt; tum quia conscientia sibi non ducunt, vanitatibus illis studere et dilicias sectari, v. g. faciem fucare, corpus et vestes unguentis atque odoribus imbuere, capillos crispare, oculos impudice circumferre, et similia, quasi pro his nugis, veluti pro aquis, nullum sit solvendum pretium, nulla Deo reddenda ratio. Et has aquas hauriunt, non sicut Magdalena, sed sicut aliquis canalus: quales hauriunt, tales et fundunt et in alios transfundunt. At nonita Magdalena, quæ ejusmodi viles aquas

quidem olim, dum sæculo studeret, hauserat; postea vero per pœnitentiam ad instar vitis convertit in vinum; quod et vitam animæ, et solidam dat consolationem. Ex oculis prius lascivis pretiosas effudit lacrymas, de quibus Sanctus Bernardus, ser. XXX. in Cant. ait: « Lacrymæ pœnitentium vinum sunt angelorum: quod in illis vitæ odor, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentia, serenata suavitas conscientia. » Capillos prius amasio adornatos in tersorium pedum Christi mutavit: unguentum quod usurpabat ad vanitatem, effudit in pedes Christi. Sed audiamus S. Gregorium, hom. XIII. in evangelia: « Quod sibi turpiter exhibuerat, inquit, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hos jam per pœnitentiam conterens flebat: capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed jam capillis lacrymas tergebat: ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum; ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa. »

V. Vitis suis capreolis quasi funiculis alligat se fortiter ad arborem vicinam, ut non nisi vi et fœce inde avelli queat. Hinc aliqui dictam volunt *vitem*, quasi *vi tenentem*. Non aliter Magdalena Christo veluti arbori vitæ sese alligavit; hinc enim non solum crebro ad ejus pedes sedebat, sed etiam cum resuscitatum vidit, statim eis se advolvuit, imo etiam circumvolvere, Christumque retinere voluit, ita ut ab eo arceri deberet: ad hæc, peregrinationis ejus comes, cura familiæ sorori relicta ei quasi ministra servivit, et semper a tergo adfuit etiam ad crucem et sepulcrum; adeoque firmiter, ut nec Marthæ interpellatione avelli a Christi pedibus, nec Judæorum furore a Crucifixo, nec militum custodia a sepulcro ejus depelli se pateretur. Vitis natura debilis per se assurgere nequit uti arbores: humi si repat, fructus suos perdet ac putrefiet; idcirco palo aut arbore indiget, cujus beneficio a terra assurgat. Idem experitur natura nostra lapsu primo depravata et ad terram incurvata: nisi ad Christum se affigat, humi repet, et fructus inanes gignet. Quo etiam pertinet, quod ait Dominus: *Sicut palme non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic et vos, nisi in me manseritis*. Joan. XV. Itaque a Christo vires et succum gratiæ accipere nos oportet, ut possimus producere opera bona, præsertim supernaturalia et meritoria vitæ æternæ. Reliqua, quæ a nobis et nostris tantum viri-

bus producimus, humi repunt et putrescunt. Vidit hoc Magdalena, et propterea tam fortiter ac constanter alligavit se ad Christum, quasi dicens id sponsæ, Cant. V. *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum nec dimittam: et id Ps. LXXII. Mihi autem adherere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam*. Qui Christum fortiter tenet, fortiter etiam tenebitur, nec dimittetur unquam. Sensit hoc adolescens neophytus a sene homicida falso de eodem crimine accusatus, dum in supplicio ad orientem, ut scilicet Christum (more Christianorum orantium) crucifixum et verum orientem præ oculis haberet, petiit suspendi, quod refertur in prato spirituali, c. LXXII. his verbis: « Senex quidam, qui homicidium fecerat, detentus est a magistratu in Alexandria. Qui cum cruciaretur, dicebat, et alium fuisse secum cædis illius socium. Is autem, de quo senex dicebat, adolescens erat viginti ferme annorum. Multis ergo suppliciis ambo affecti sunt. Et senex quidem dicebat: Mecum fuisti, quando perpetravi homicidium. Adolescens vero denegabat, nihil se conscium esse homicidii, neque cum illo se fuisse asserens. Cum ergo cruciati fuissent, sententiam ambo acceperunt, ut furcis suspenderentur. Abierunt ergo quinto extra urbem milliario: illic enim hujusmodi reos punire consueverant. Distabat autem ab eo loco fere uno stadio Saturni templum eversum. Cum igitur ad locum venissent, et populus et milites adolescentem primo in ligno suspendere voluerunt. Adolescens autem prostratus in solo milites orabat, dicens: Per Dominum facite charitatem, et ad orientem me suspendite, ut illum videam, quando suspensus ero. Dicunt ei milites: Quam ob causam? Quibus adolescens: Vere, domini mei, non habeo infelix ego plusquam septem menses ex quo sanctum baptisma suscepi, Christianus factus sum. Cum hoc audissent milites, lacrymati sunt super adolescente. Senex autem cum hoc audisset, fremens graviter dixit militibus: Serapi facite, ut ego aspiciam contra Saturnum. Cum vero audissent blasphemiam senis, omisso adolescente, senem primo suspenderunt. Cum vero illum in ligno suspenderent, ecce eques ab Augustali celeriter missus, ait militibus: Adolescentem nolite interficere, sed reducite illum. Factum est autem ingens gaudium militibus et cunctis assistentibus. Et reducentes eum, introduxerunt in prætorium; absolvitque illum Augustalis: adolescens vero, præter spem salvus factus, abiens monachus effectus est. Hoc autem ad nostram et legentium utilitatem scripsimus, ut sciamus, quia novit Dominus pios a tentatione liberare. »

VI. Vitis odio habet brassicas, caules, rapha-

nos, et similes herbas acidas, terræque affixas, adeo ut palmites suos abstrahat ab illis; et si fugere eas nequeat, quandoque emoriatur, teste Pierio, l. LVIII. et Plinio, variis in locis. Amat etiam in altum ascendere, dummodo adminiculum habeat; adeo ut etiam altissimis arboribus se implectens, una cum illis succrescat. Magdalena etiam, ubi semel Christum velut sustentaculum unum amplexa est, humi repere noluit, nec rebus culinariis cum sorore sua vacare, sed verbi Dei auditu, devotioni et contemplationi se tradidit. Post ascensionem Christi in Gallias delata, urbes, commercia hominum fugit, eremum quæsiuit, ubi sola cum Christo ageret, in cælo verius quam in terra. Vidit enim quanta in terrena hominum conversatione essent salutis pericula, quanta amarities transeuntium bonorum. Vidit Davidem quamdiu in montibus et solitudine latitabat, inculpabilem fuisse: in urbe demum inter homines lapsum esse. Et quia primum ætatis florem sæculo libarat, voluit saltem reliquam vitam Deo transcribere; quod sane fecit tot annis, quot fere Christus in terra vixit. Verum dicet aliquis, sibi in mundo et cum mundo conversandum esse, nec licere, ut cum Magdalena se includat in solitudinem. Quid igitur consilii? Id profecto, ut quod Thomas Morus solebat respondere: *E duobus malis minimum eligendum*. Quando igitur necessitas cogit cum mundo conversari, videat unusquisque, ut quam post minimum eo utatur: *Tanquam non utatur*, ut ait apostolus: ne in medio illius habitet, quas in ipso foro, sed quasi in recessu et angulo quodam, ne in aquas ejus se immergat usque ad os. Cogitet viduam Judith, quæ quidem in Bethulia habitabat, sed quasi non habitabat, quia: *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur*. Cogitet Danielelem et Josephum in aula regum habitasse, et tamen inculpata ibi vitam duxisse. Denique, si omnino fugere mundum ejusque sectatores nequit, abstrahat saltem ab eorum familiaritate se suosque sibi commissos, quærat cum bonis et in cælo suam conversationem; et si non septies in die cum Magdalena elevari potest in cælum, saltem aliquoties suas eo cogitationes diriga!

CONCIO I.

QUATUOR ETYMA MAGDALENÆ.

I. Est educta seu nutrita. — II. Est magnifica seu magnificata. — III. Est vexillo insignita. — IV. Est turrata vel turrigera.

THEMA.

Vides hanc mulierem? Luc. VII.

Videtur hic Pharisæus cæcutisse in Magdalena, quemadmodum cæcus ille Marci VIII. nondum plene illuminatus a Christo, cæcutiit in hominibus, quos aspiciens quasi per nebulam, dixit: *Video homines velut arbores ambulantes*. Homo, juxta tritum illud philosophi, est *arbor inversa*. Et talem primo aspectu censuit Pharisæus esse Magdalenam, hominem inversum et mulierem perversam, seu peccatricem. Verum erravit bonus vir, necdum satis illuminatus. Itaque sicut Christus cæco illi rursus manus imposuit, ut is plane ac plene videret, ita Pharisæo lumen accendit, ut Magdalenam melius cognosceret. Ergo, Pharisæe, quam prius aspexisti ut peccatricem, rursus eam aspice jam conversam, et vide ut Magdalenam. Hoc nomen tibi aliam de ipsa pariet opinionem. Sonat enim *educatam*, sonat *magnificam*, sonat *vexillo insignitam*, sonat *turratam*, ut ex Pagnino docet Cornelius, in c. VIII. Luc. Quæ nunc contemplabimur.

I. Magdalena idem est, quod *educata* seu *nutrita*, a radice Hebr. *gadal*, quod est *nutrire* vel *educare*. Talis fuit Magdalena, educata et nutrita verbo Dei ad pedes Christi, quibus undique fere adhæsit, quoties ejus meminit evangelium. Imprimis in hodierno evangelio stat et jacet secus pedes Domini, dum eos ungit et lavat: rursus, Lucæ X. sedens secus pedes Christi, audit verbum ejus: denique, Joan. XX. vers. XVII. accedit ad pedes ejusdem resuscitati. Nimirum: *Optimam partem elegit sibi Maria*, teste Domino, dum elegit pedes Domini, simulque ejus verbum. Nemo sanctius educabitur et suavius enutrietur, magisque saginabitur, quam qui humili mente audit frequens et meditatatur verbum Dei. Unde Psal. I. dicitur: *Beatus vir, qui in lege Domini meditabitur diè ac nocte; et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. Quemadmodum ergo arbores juxta aquas plantatæ cito et in altum crescunt, fructusque plures afferunt ob continuum aquarum affluxum et irrigationem; ita qui verbo Dei audiendo, legendo quasi insutrientur et affixi hærent, cito in perfectum crescent virum, et pinguescunt spiritu, pluri-

mumque bonorum operum fructum afferent. Est enim Dei verbum instar mannæ, ut docet Origenes, homilia VIII. in Exod. habentis omnem saporem suavitatis, quem quisque optabat; serviens ad omnia, quæ quis ad vitam sibi utilia et necessaria desiderat. Aspice Magdalenam, quæ prius arbor sterilis, imo pestilens, transplantata ad pedes Domini, et irrigata ejus verbo, quam cito immutata est, et ad quantam sanctitatem ascendit! Idem de aliis sanctis videre est, qui in lege Domini et verbo Dei innutriti sunt. Hebræi legem Dei in phylacteriis suis et in fronte circumferebant. Christiani aliqui, ut testatur S. Chrysostomus, in Matth. XXIII. partem evangelii ex collo dependentem apud se gerebant. Verum rectius agunt ii, qui in corde illud gerunt, meditando et ruminando; quemadmodum S. Cæcilia virgo et martyr, de qua Ecclesia in ejus officio ait: *Virgo gloriosa semper evangelium Christi gerebat in pectore suo, et non diebus neque noctibus a colloquiis divinis et oratione cessabat*. Atque ut humor sapientiæ divinæ magis in Magdalenam influeret, ideo ad pedes Domini sedens verbum ejus audiebat. Solent discipuli ad pedes magistri, editiore loco sedentis, audire doctrinam. Unde Paulus ad pedes Gamalielis educatum et edoctum se ait, Actorum XXII. Debent enim qui discere volunt, humiliter audire: quod etiam Moyses insinuavit, filiis Israel moriturus benedicens: *Qui appropinquant pedibus ejus, capient de doctrina ejus*, Dei scilicet, Deut. XXXIII. Ratio est primo, quam dat Sanctus Augustinus, serm. XXVII. de verbis Domini dicens: « Quanto humilior (Magdalena) sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumore collis. »

Secundo, quia cum Deus non permittat dari vacuum, uti in naturalibus, ita et in moralibus: quo magis quis se coram eo dimittit, eo magis ad eum ipse descendit.

Tertio, quia humilis est vas vacuum, per humilitatem se exinaniens, adeoque capax liquoris cælestis: superbus est vas plenum tumore et vanitate. Scimus autem vasa illius viduæ pauperulæ oleo impleta fuisse, quousque vacua ad manum erant, IV. Reg. IV. Unde Elisæus ei dixerat: *Pete mutuo vasa vacua*. Plena aliis sed vilioribus rebus, oleum non capiebant.

II. Idem est quod *magnifica*, seu *magnificata*, ab eodem *gadal*, quod etiam *magnificum* sonat. Hujusmodi autem Magdalena est. Si enim ille: *Probatum est, quem Deus commendat*, teste apostolo, II. Cor. X. utique etiam magnifica erit, quam Deus magnificavit: Magdalena vero ab ipso Christo commendata et magnificata est, non semel, sed

tribus vicibus. Primo, in hodierno evangelio. et quidem magnifice: secundo, Lucæ X. *Maria optimam partem elegit*, III. Matth. XXVI. *Opus bonum operata est in me*. Non a quovis sed a magnis commendari, magnum est: a Deo commendari, id omnino maximum et incomparabile. Laus enim et commendatio, quæ ab homine venit, multis de causis parva et exilis est. Primo, quia sæpe mendax est: homines enim judicant secundum faciem, unde sæpe falluntur. Deus autem intuetur cor, unde laus ejus verissima est. Secundo, quia inanis, nihil homini conferens, in ore tantum laudantium, non in laudato posita: gloria vero quæ a Deo datur, et in Deo et in glorificato est. Tertio, quia sæpe fucata est, et qui in faciem laudat, sæpe a tergo irridet: gloria Dei fidelis et sincera est. Quarto, quia instabilis: qui te hodie laudant, cras vituperabunt: gloria Dei stabilis est et constans. Quinto, quia brevis: laudant enim te homines brevi morituri, et sic una cum illis moritur laus tua: laus quæ a Deo venit perpetua est et mori nescit. Sexto, quia manca et mutila: qui laudatur ab his, vituperatur ab illis: quot enim capita, tot sententiæ: laus Dei integra et perfecta est; quem ipse laudat, omnes laudare cœlites debent. Denique, parva est, quia qui laudant et laudantur parvi sunt. Quid curant reges terræ, quod pueri in scholis inter se creent reges, dictatores, consules, senatores, extollant doctiores in cathedras, honorent sceptris, coronis, vexillis, deprædicent laudibus? Nonne eos rident et despiciunt? Laus quæ a Deo datur immensa et incomparabilis est, quia ab immenso datur. Talis igitur laus fuit, qua commendata est Magdalena, vera, efficax, sincera, stabilis, perpetua, perfecta, divina. Vere igitur *magnifica*, quia a Christo *magnificata* est Magdalena. Auget vero non parum ejus magnificentiam, quod a Christo Domino coram et in faciem laudata sit, tribus, ut dixi, vicibus; quod non fecit centurioni, quem, conversus ad suos, adeoque aversus ab ipso, laudavit de præstantia fidei, Matth. VIII. imo nec Joanni Baptistæ, quem non modo non in os, sed neque præsentibus ejus discipulis (nempe *illis abeuntibus*) laudavit, Matth. XI. Quæ hujus rei causa?

Prima est, ni fallor, ut ostenderet Dominus, quam benevolenti animo afficiatur erga penitentes; ut eos innocentum numero inserat, et pari honore a nobis habendo, et amore complectendos esse insinuet. Hoc ut Magdalena, quæ per lapsum famam suam perdidit, contingeret, singulari ratione ejus penitentiam ac virtutum opera consequentia audiente commendare voluit. Sic militiæ dux jubet agitari vexillum supra militem, qui ex

delicto infamis factus, vitam amittere debuit; in gratiam tamen receptus, militiæ suæ restituitur: quod tamen aliis, qui nunquam deliquerunt fieri non solet.

Secunda, ut in majorem spem ac confidentiam erigeretur Magdalena, nec ob lapsus suos præteritos animo deiceretur. Certe in lege veteri holocausta, quæ a justis fiebant, et victimæ pro peccato, quæ a peccatoribus offerebantur, eodem in loco offerri solitæ erant, Levit. VI. *Ad demulcendos oblatores*, inquit Theodoretus, q. IV. *ut cognoscant se non esse alienos a sanctis, cum per penitentiam sanantur*: unde intelligunt peccatores se, si vere resipiscant, non inferiori apud Deum loco futuros, quam sunt alii, qui non deliquerunt.

Tertia, quia justus aliquis et innocens, v. g. Joannes Baptista, facilius poterat ad superbiam tentari, si coram laudaretur, quam Magdalena, quæ suorum peccatorum, etiam dimissorum, pondere adhuc pressa et humiliata, nullis laudationis flatibus in altum tolli facile poterat. Unde innocentes sancti magis vanæ gloriæ vento sunt obnoxii, quam penitentes, qui præteriti sui lapsus memores, quasi pondere affixo se defendunt contra ventos illos.

Quarta, et potissima, ut reor, quia viderat Dominus Magdalenam suæ penitentiam aliisque piis operibus adeo intentam, ut suis laudibus audientis minime vacaret; et proinde nullum erat periculum, ne de illis inaniter exultaret. Quæ certe eximia est laus Magdalenæ ac novus laudum accessus. Ac propterea quia ipsa ad suas laudes non attendit, celebrari eam voluit Christus toto mundo: *Ubi cumque prædicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus*, Matth. XXVI.

III. Idem sonat quod *vexillo insignita*. Non male hoc etymon congruit Magdalenæ, imo vero optime. Ipsa enim est vexillifera et antesignana omnium penitentium, quos exemplo suo non solum ad sui sequelam, et penitentiam obviis ulnis amplectendam, excitat et animat, verum etiam instruit, et rationem docet recuperandi amissam gratiam Dei que benevolentiam. Quemadmodum enim Rahab meretrix in civitate Jericho, qui binos Josue nuntios exploratores benevole et humaniter habuit, devinxit sibi per hoc Josuen, ut ipsi, cum expugnaret et vastaret civitatem, una cum omni ejus familia salutem et incolumitatem donaret, adeoque inter Hebræos eam vivere permitteret; (quod ut fieret, publice proclamavit: *Sola Rahab meretrix vivat cum universis, qui cum ea in domo sunt*, Jos. VI.) ita et Magdalena, quia Domini pedes tanto amore et honore complexa est, unguento pretioso unguendo, lacrymis rigando,

capillis suis tergendo, ore suo osculando, devinxit sibi verum Josuen et Salvatorem Jesum, ut audire ab eo meruerit: *Fides tua salvam te fecit: vade in pace*. Neque hoc ipsi soli dictum voluit Christus, sed omnibus qui exemplo ipsius penitentiam amplectuntur, adeoque ejus vexillum sequuntur quasi commilitones. Quantum hoc Magdalenæ, quantum aliis peccatoribus et peccatricibus solatium: *Vivat Rahab meretrix! Vivat Magdalena meretrix! Fides tua te salvam fecit: vade in pace!* Erigant hic animos et reviviscant omnes peccatores, quia et ipsi vivent, si ad Magdalenæ vexillum transeant. Verum expendere debent, quale id vexillum est penitentiam; sed quemadmodum capitale seu primarium ducis vexillum alia sibi adjuncta et subordinata habet, ita et vexillum Magdalenæ. Habet enim primo, vexillum heroicæ fidei, qua credit Christum dimittere peccata posse, adeoque Deum esse; ut vult S. Augustinus, hom. XXIII. inter L. quem tamen Scribæ et Pharisei agnoscere volebant: quemadmodum et Rahab agnovit Hebræorum Deum: *Novi quanta Deus vester fecerit*, inquit; quem plerique Hebræi negarant in deserto dicentes de vitulo illo: *Hi sunt dii tui, qui eduixerunt te de Ægypto*. Primum hoc vexillum est, quia fides fundamentum salutis est.

Secundo, vexillum verecundiæ, quæ impuram se agnoscens, retro Christum accessit, velut indigna ejus conspectu. Pulchra valde avis est porphyrio a purpuræ colore sic appellata. Ea vero tam pudica est, ut inspicientibus et presentibus hominibus non comedat, et si scortum videat, fame intereat; quod ex Tretze et Polemone refert Aldrovandus, libro XX. ornith. capite XXVIII. Talem esse hostem impudiciæ Dominum Jesum, persuasit sibi Magdalena, ideoque in ejus conspectum prodire non est ausa, ne pudiciæ omnis fontem ad indignationem provocaret. Sectentur Magdalenæ pudicitiam, qui secuti sunt priorem ejus impuritatem.

Tertio, vexillum religionis et devotionis, dum tot pietatis obsequiis Christum honorat, unguendo, lavando, tergendo, osculando, et quæ postea ei exhibuit, verbum ejus audiendo, cruci adstando, ad sepultum aromata ferendo, redivivum querendo, etc. Sequantur eam penitentes, tantumdem servitii impendendo Deo, quantum prius impenderunt mundo.

Quarto, vexillum perfectæ penitentiam, dum instrumenta peccatorum suorum convertit in instrumenta virtutum, satisfaciens pro delictis suis tot holocaustis, quot peccarat oblectamentis: lavat Christi pedes, quos fœdarat quasi sua impudiciæ: lavat, inquam, lacrymis deflectentibus

ex oculis, quos in amatores conjecerat: tergit capillis, quos mundo ornat: osculatur ore, quo amasium basiarat: ungit unguento, quo perunxerat vane corpus suum. Sequantur hanc vexilliferam penitentem, qui secuti sunt errantem.

Quinto, vexillum amoris Dei, quo inflammata Magdalena, sprete derisores, penetravit ad suum medicum, resoluta est in lacrymas et oscula, adhæsit deinceps Christo usque ad crucem, sprete Judæorum furore: postea annis triginta vivendo in amore et contemplatione Crucifixi, imo vi amoris tandem moriendo, ut in ejus vita habetur. Huc, huc penitentes, sequamini vexilliferam vestram, et tantum nunc amoris impedit Salvatori vestro, quantum prius impendistis mundo seductori et carnifici vestro.

IV. Idem sonat, quod *turrita vel turrigera*, ab Hebr. *migdal*, quod est *turris*. Talis Magdalena etiam recte appellatur, ob vitam contemplativam, quam post conversionem suam, præsertim post Christi ascensionem, duxit in monte Massiliæ et Bauma sua, quasi in altissima turri, sola cum Deo versans in divinis meditationibus per triginta annos. Vita contemplativa instar turris est, teste Divo Francisco de Paula, qui dicebat: « Homo Dei contemplator præ cæteris hominibus est profecto tamquam qui ex alta turri homines humi jacentes, stratos, ambulantes despiceret. Hos ut pusillos, et se ipsis breviores (sic enim videntur, licet non sint) aspiciendo contemneret. » Id quod in se ipso sanctus iste demonstravit additissimus contemplationi: « Qua cum frueretur, stratoribus, qui ad fores cubiculi clausas adsistebant, et Carolum VIII. Gallorum regem adventare atque prope esse clamabant, præ cælestibus omnia terrena irridens et contemnens, nihil respondit. A sacerdote, deinde cum de omnibus confiteretur, quid fuerit causæ, cur regem in cubiculum non admiserit, interrogatus, de hac ipsa re narravit, et se indicando rem demonstravit. » Ita Lipelous, in ejus vita, 2. apr. Verum video, auditores, præaltam esse hanc turrim, nec facile ab aliis posse conscendi. Quid igitur nos agamus, si imitari in hoc Magdalenam non possumus? Imitemur Axam illam, filiam Caleb desponsatam Othonieli, cui in dotem dederat pater terram arentem. Itaque suspirans filia petiit ab eo etiam irriguam (seu scaturiginem) superius et inferius, Jos. XV. Similes plerique nos Axæ sumus: terram arentem cordis nostri accepimus, aridos nos sentimus in oratione et meditatione. Multis igitur suspiriis petamus a Deo etiam irriguam; et si fieri potest, duplicem, scilicet (ut exponit Sanctus Gregorius, l. III. dial. c. XXXIV.) compunctionem superiorem, quæ ex amore Dei, et inferiorem, quæ ex

timore procedit. Exerceamus nos subinde saltem nunc in amore Dei, contemplando ejus majestatem et beneficia; nunc in timore ejusdem, et gehennæ, quæ expectat impœnitentes. Sic quadamtenus licebit una cum Magdalena ascendere turrim illam, indeque ad alteram æternæ visionis gradum facere.

CONCIO III.

MAGDALENA CUR PECCATRIX DICTA.

- I. Ob peccati luxuriæ fœditatem, non nominandam. — II. Ob peccati hujus furem et tyrannidem. — III. Ob vitii hujus monstruositatem.

THEMA.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.

Luc. VII.

Conveniunt ss. patres peccatum Magdalenæ, cujus gratia in hodierno evangelio *peccatrix* appellatur, fuisse impudicitiam, seu luxuriam. Unde Sanctus Augustinus, ser. LVIII. de temp. eam appellat meretricem. Alii similiter propter ipsam dixisse Christum volunt: *Meretrices et Publicani præcedent vos in regno Dei*. Quod si ita est, cur non etiam a Luca expresse vocatur meretrix? Imo ne Publicanus quidem, tam severus alioquin censor, eam hoc nomine compellere voluit, sed *peccatricem* solum, generico vocabulo dixit. Denique, pudici omnes abhorrent ab ea voce, nec nisi ex zelo et indignatione eam pronuntiare solent; alioquin verbis obscurioribus, velut tenebris involvendam circumscribere. Hujus igitur rei causas investigemus.

I. Sic appellata est, ob peccati, cui addicta fuerat, fœditatem: quæ tanta est, ut verecundiæ causa nominare etiam pudeat, idque præcipit imprimis apostolus ad Eph. V. *Fornicatio autem et omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos*. Ratio est primo, quia sicut res aspectu fœdæ ab oculis removentur, ne horrorem et nauseam concipiamus; ita etiam merito ab auribus removendæ sunt: non enim minus intrant in cor per aures, quam per oculos. De Israele, varia gentium superstitione corrupto, ait Oseas VIII. *Devoratus est Israel* (ab Assyriis scilicet) *factusque est quasi vas immundum*, Hebraice *matula* ait Sanctus Hieronymus, *quo ad projicienda stercorea uti solemus*. Tales matulæ sunt libidinosi, æque ac Hebræi idololatræ. Quinimo *stercus* appellantur, Ecclesiastici IX. *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur*. Ut ergo stercus et matulas suo nomine non pronun-

tiamus, sed alio circumscribimus; ita nec libidinosi nominari debent. Notum est illud Spartani adolescentis factum, qui ab Antigono rege jussus afferre matulam, prius de tecto se præcipitem dedit, quam id faceret, apud Plut. in apoph. Si hic ingenuus adolescens matulam manu tangere noluit, multo minus decet Christianum cælo natum, ore suo proferre verba, quæ sonant fornicationem aut immunditiam. Hanc ob causam casti refugiebant, quantum poterant, proferre ejusmodi vocabula et libidini affinia nomina, uti Moyses lasciviam Hebræorum circa vitulum saltantium, quam appellavit *ludum*, Gen. XXXIII. Sanctus Matthæus præterit nomen Bethsabææ, et circumscriptione usus: *David genuit Salomonem*, inquit, *ex ea quæ fuit Uriæ*, capite I. Filius etiam ex ea natus nullo nomine exprimitur. Princeps ille de tribu Simeon, qui ad scortum Madianiticum intravit, sine nomine describitur, quasi indignus notitia, Num. XXV. Et putat Abulensis, Deut. XXXIII. q. II. propter ipsum fuisse etiam in benedictione tribuum solam tribum Simeon a Moyse præteritam, ne vir sanctus moriens os suum contaminaret memoria impurissimi hominis, ex tribu illa nati.

Accedit vitii fœditati sanctum quoddam odium, et antipathia castorum erga impuros, ut indicat apostolus loco supra citato: *Sicut decet sanctos*, quasi diceret: Sanctimonia et immunditia sibi mutuo adversantur, unde nec nomen quidem adversæ partis audire volunt. Hinc Jacob benedicturus filios, primogenitum Ruben e contra maledixit, dicens: *Effusus es sicut aqua; non crescas*; Gen. XLV. quasi dicat: Una cum pudicitia effudisti per incestum, commissum in Balaam conjugem meam, primogenituram et omnem fortunam tuam, velut aquam e vase, in quo nihil amplius remanet, ne odor quidem ullus: quia perdidisti honorem, famam, incrementum familiæ, nomen. Unde ex odio incestus illius, imprecatur ei maledictionem potius quam benedictionem: *Non crescas*, inquit, quasi diceret: Neque nomine, neque dignitate aut prærogativa, neque sobole augearis inter fratres, quia tam fœdo peccato inhonorasti patrem tuum et commaculasti stratum ejus. Itaque evenit tribui Ruben, quod legitur contigisse junipero, quam plantavit frater Sancti Francisci Juniperus. Cum enim is vocatus a S. Francisco, intentus plantandæ junipero, non statim comparuisset, donec opus perficeret, maledixit Franciscus plantulæ illi, ne cresceret: idque protinus factum est, ut ne latum quidem unguem creverit, quæ etiamnum visitur Carinulæ Campaniæ felicis in monasterio Minorum, teste Waddingo, in annal. Minor. anno 1222. num.

CXI. Contingit hoc idem fere aliis etiam deditis libidini. Perdunt enim honorem, famam, familiam, sobolem, substantiam, nomen et fortunam omnem, ut quasi maledicti decrescant potius quam crescant. Simili ex odio hujus fœdissimi vitii arbitrari possumus Saulem regem iratum jactasse convicium illud in Jonatham filium: *Fili mulieris virum ultra respicientis*, I. Reg. XXIII. quasi eum non habeat pro filio suo, sed pro spurio, ex adultero aliquo genitum. Non appellat filium meretricis aut adulteræ, quasi abhorrens ab ipso turpi vocabulo. Denique, Deus ipse odium suum erga hoc vitium demonstravit, quando id primo delevit diluvio: deinde, incendio Pentapolis et mari mortuo ibidem exorto, perpetuum fetorem exhalante, ut et locus, quo illud vitium invaluit, infamis et inaccessus fieret.

II. Ob peccati hujus furorem et tyrannidem, qua hominem impellit in peccata alia, ita ut fons et mater omnium peccatorum dici queat. Eam ob causam S. Ambrosius, libro II. de Abraham, cap. VII. comparat eam equo feroci et impetuoso; qui omnia perrumpit, et sessorem per devia et avia in præceps rapit, usque dum ad equam quam insequitur, perveniat: rapit in superbiam ad ornandum corpus, quod in amorem sui alios pelliciat, quod fecisse Magdalenam, admodum probabile est; siquidem capillis et unguento suo punire voluit præteritam superbiam suam: rapit in avaritiam, uti Salomonem, qui ut satisfaceret postulatis sarrum mulierularum, iniquis exactionibus gravavit subditos suos: rapit in rapinas alienarum conjugum, uti Pharaonem in raptum Saræ, Genes. XII. Sichem in raptum Dinæ, Gen. XXXIV. rapit in prodigalitem, uti Judam, filium Jacob; qui præter hædum promissum meretrici, dedit etiam annulum et armillam, Gen. XXXVIII. rapit in ebrietatem, uti Holofernem, Judith. XIII. rapit in homicidium, uti Davidem in necem Uriæ, II. Reg. XI. Herodem in necem Joannis Baptistæ: rapit in invidiam, uti Liam erga Rachel, Gen. XXX. rapit in mendacia et calumnias, uti uxorem Putipharis ad calumniandum Josephum, Gen. XXXIX. senes illos duos ad calumniandam Susannam, Dan. XIII.

Quemadmodum igitur panthera (Græce *omne animal* significans) nomen id accepit, quia venatur pene omne animal: ita et libido antonomastice vocatur *peccatum*, quia in omnia peccata præcipitat; et libidinosæ *peccatrices*, quia in omnia facile præcipitantur. Hinc voluptas carnis ab Eusebio, libro VII. præparat. evang. c. II. *Hydra multorum capitum*: a Clemente Alex. libro II. strom. *metropolis vitiorum* appellatur.

Deinde, nullum pene vitium tantam in homine

stragem edit, atque illud. Mentem enim et rationem obcæcat, captivamque carni subjicit. Voluntatem carceri mancipat, ut nisi magna adhibita vi et Dei accedente gratia, elustrari nequeat; non secus ac qui in profundam foveam cecidit. Infamia quoque aspergit, in rixas et contentione implicat, corpus fœda lue inficit, bona fortunæ exhaurit, animam gratia et bonis omnibus spoliatur; simile bestię crocutæ, e cane lupoque genitæ, quæ omnia dentibus frangit devoratque, apud Pierium, in Gen. c. VI. Recte etiam S. Job de eodem dixit, c. XXXI. *Nefas est et iniquitas maxima. Ignis est, usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina*. Frangit enim et enervat omnes animi vires, ipsumque adeo sibi subjicit, et devorat judicium sapientiam, boni nominis curam, Dei timorem, verecundiam.

Quia igitur libido pessimum est vitium, adeoque pessimos facit homines, jure eorum nomen tacetur: ait enim Isaias, c. XIV. *Non vocabitur in æternum semen pessimorum*.

III. Ob vitii hujus monstruositatem, quæ tanta est, ut vix proprio nomine designari queat. Convenit inter doctores, Dagonem illum Azotiorum, idolum lasciviæ et Veneris fuisse; et quidem monstruosum, ex diversorum animalium figuris compositum. Certe ex parte piscem representasse indicat nomen *Dagon*, quod piscem significat: ex parte vero hominem, docet sacer textus, dum ait eum manus habuisse; adeoque videtur a capite usque ad umbilicum hominis, inde vero piscis forma constituisse. Eidem ab aliis virilis, ab aliis femineus sexus tribuitur. Nimirum cæca libido tale monstrum est, quod imprimis eum, quem occupavit, hominem quidem foris, secundum faciem ostendit; interim tamen, dum in aquas voluptatis immergit, quasi piscem facit, qui nec aura libera fruitur, sed in aquis quasi captivus tenetur, nec cælum intuetur. Talis est enim homo libidini addictus et voluptatibus immersus, Veneris scilicet captivus, a cœlestium rerum intuitu longe remotissimus. Et quæ conventio hominis cum pisce? Animalis sapientissimi cum stolidissimo et nullius disciplinæ capace? Nimirum Spiritus sanctus per insipientes illos Philisthæos, velut per os asinæ, indicare voluit, hominem per libidinem a sapientia in summam degenerare stultitiam. Et quemadmodum piscis ex omnibus animalibus mutum est animal; ita non decere ut Veneris meretricis nomen ore proferatur: quam etiam ob causam, peccatum Sodomorum *mutum* appellatur.

Secundo, deinde tam pendendum est, ut sexum quasi variet; modo virum in feminam, modo feminam in virum mutet. Id quod in gentilibus

taxat apostolus ad Romanos I. Videmus etiam quandoque viriles personas adeo se comere, vestire, incedere, quasi feminæ essent; et e contra feminas viriles imitari mores, vestitum, incessum. Quis non dicat istos esse Dagas et Dagonas? Neque viros neque feminas? Et quæ hujus mutationis causa, nisi fœda cæca libido? Eandem vitii hujus monstruositatem indicavit Raphael angelus Tobię, cum libidinosos Saræ maritos equo et mulo comparavit, Tob. VI. Quale illud monstrum, ex equo et mulo compositum? Equus enim salacissimus est, teste Aristotele, I. VI. hist. animal. c. XXII. et fere toto anno, cum aliæ bestię certum anni tempus habeant, quo ad libidinem stimulantur: mulus vero, et si ad libidinem etiam intemperans est, sterilis tamen est. Incitatur ergo mulus non amore prolis, sed mera voluptate ad libidinem. At hoc monstruosum est: cæteræ enim animantes, non nisi prolem e congressu quærunt. Ergo libidinosi tale monstrum sunt una ex patre equi, quia maximo impetu nunquam non feruntur ad lasciviam; altera ex parte muli, quia non quærunt bonum prolis, sed marum et fœdissimam voluptatem, et quia ex illo vitio prorsus stupidi fiunt, magis quam asini, ad omnem sanam disciplinam capessendam plumbei: qualis factus est ille filius Hemor, hoc est, *asini* (id enim significat Hemor) qui amore Dinæ se circumcidi passus est, Gen. XXXIV. Utrumque illis exprobrat Deus per Jerem. V. dicens: *Mæchali sunt, et in domo meretricis luxuriabantur*. En secundum: nam mæchi at scortatores solam voluptatem quærunt, prolem non quærunt: *Equi amatores et emissarii facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinciebat*. En primum: emissarii enim equi maximo furore feruntur ad equas. S. Basilius, I. de vera virg. scribit, hominem, juxta antiquam physiologiam, creatum quasi centaurum, ut supra parte sit homo, infera equus. At libidinosus præter equum etiam asinum assumit, sicque fit onocentaurus; quod confirmat S. Gregorius, VII. moral. c. XII. qui ait: *Onocentauri* (de quibus Isaiæ XXXIV. dicitur: *Occurrent dæmonia onocentauris lubrici et elati, qui subjecti luxuriæ, vitii inde cervicem erigunt, unde humiliari debuerant*). Hujusmodi ergo monstris et onocentauris, quid nisi monstra et dæmonia occurrent in mortis articulo? Ita enim Raphael dixit in tales, qui sicut equus et mulus vacant libidini, habere potestatem dæmonum. Tale monstrum refert B. Petrus Damiani, in epist. ad fratres eremi, et ex eo Baronius, anno 1054. fuitque anima Benedicti IX. Pp. invasoris sedis apostolicæ, in specie ursi cum auribus et cauda asininis, qui Vasso cuidam iter agenti apparuit, asserens tali specie se rapiendum per